

*RENISSIMA SOPHIA ELISABETHA,
Dux Saxoniae, Princeps pia & summe
laudabilis supra dicta, Schleusingae mor-
tua, suum fecit.*

XII.

CHRISTOPHORVS SONNTAG.

CHRISTOPHORVS SONNTAG, Theologiae
hodie Doctor longe celeberrimus, Altorfi-
que in Academia & Ecclesia Primarius Theolo-
giae & Graecae Linguae Professor, & Antistes
omni veneratione dignus, Vir de Orbe Luthera-
no, & Hennebergia in hoc nostra, immortaliter
meritus, Schleusingae quoque Pastor olim fuit,
Superintendens & Gymnasii Ephorus. Natus Is
est A. 1654. d. 28. Ian. VVeidae Variscorum, Patre
Christiano Sonntag / Ciue, Acupictore & Sena-
tore ibidem, & Matre, Anna Maria. E Schola pa-
tria, ubi eum erudierant Knochius, Hensel, Ia-
cobi & Franckius, in Electorale Gymnasium Por-
tense translatus A. 1667., locumque in Eodem na-
ctus gratuitum, Kühnium audiuit, Lyserum, Ma-
nitium, Laurentium, VVeissium & Stohrium. In-
clytam deinde Salanam adiit, & Frischmuthii
in primis, Posneri, Velthemii, Musaei, Nieman-
ni & Bechmanni frequentauit Collegia, & jam A.
1674. d. 10. Sept. ab Amplissimo Philosophorum
Collegio lauream reportauit, hacque reportata,
aliis etiam suam in docendo ac disputando ab-
unde probauit dexteritatem. Hinc Munera Ipsi
commissa sunt sacra & amplissima. Primùm ab
ILL. DN. IO. ALB., S. R. I. COM. de RONOVV
& BI.